ex charitate diligendi, sed culpa eorum Deo contraria... et est beatitudinis impedimentum. Vnde secundum culpam, quae Deo aduersatur, sunt odiendi qui cumque peccatores, etiam pater, & mater, & propinquus, ut habetur Luc. 14. Debemus enim in peccatoribus odire, quod peccatores sunt, & diligere, quod homines sunt beatitudinis capaces. Et hoc est eos vere ex charitate diligere propter Deum.

Ad primum ergo dicendum, quod iniquos propheta odio habuit, in quantum iniqui sunt, habens odio iniquitatem ipsorum, quod est ipsorum malum; & hoc est perfectum odium, de quo ipse dicit. Perfecto odio oderam illos. Eiusdem autem rationis est odire malum alicuius, & diligere bonum eius. Vnde etiam illud odium perfectum ad charitatem pertinet.

Ad secundum dicendum, quod amici peccantibus, sicut philosophus dicit in 9. Eth. non sunt subtrahenda amicitiae beneficia, quousque habeatur spes sanationis eorum, sed magis est eis auxilium dandum ad recuperationem virtutis, quam ad recuperationem pecuniae, si eam amisissent, quanto virtus est magis amicitiae affinis, quam pecunia; sed quando in maximam malitiam incidunt, & insanabiles sunt, tunc non est eis amicitiae familiaritas exhibenda. Eiusdem huiusmodi peccantes, de quibus magis praesumitur momentum aliorum, quam eorum emendatio, secundum legem diuinam, & humanam praecipitur occidi. Et tamen hoc facit iudex non ex odio eorum, sed ex amore charitatis, quo bonum publicum praesertur vitae singularis personae. Et tamen mors per iudicem inflicta peccatori prodest siue conuertatur ad culpae expiationem, siue etiam conuertatur ad culpae terminationem: quia per hoc tollitur ei potestas amplius peccandi.

Ad tertium dicendum, quod huiusmodi increpationes, quae in sacra scriptura inueniuntur, tripliciter possunt intelligi. Vno modo, per modum pronuntiationis, non per modum optationis, ut fit sensus Psal. 9. Conuertantur peccatores in infernum, id est, conuertentur. Alio modo, per modum optationis, ut tamen desiderium optantis non referatur ad peccatum hominum, sed ad iustitiam punientis, secundum illud Psal. 57. Letabitur iustus, cum viderit vindictam: quia nec ipse Deus puniens letatur in perditione iniquorum, ut dicitur Sap. 1. sed in sua iustitia: quia iustus dominus, & iustitias dilexit. Tertio, ut desiderium referatur ad remotionem culpae, non ad ipsam penam, ut scilicet peccata destruantur, & homines remaneant.

Ad quartum dicendum, quod ex charitate diligimus peccatores, non quidem ut uelimus quae ipsi volunt, uel gaudeamus de his, de quibus ipsi gaudent: sed ut faciamus eos uelle quod volumus, & gaudere de his, de quibus gaudemus. Vnde dicitur Hier. 15. Ipsi conuertentur ad te, & tu non conuertaris ad eos.

Ad quintum dicendum, quod conuiuere peccatoribus, infirmis quidem est vitandum propter periculum, quod eis imminet, ne ab eis subuertantur. Perfertis autem, de quorum corruptione non timetur. Perfertibile est, quod cum peccatoribus conuersentur, ut eos conuertant. Sicut Dominus cum peccatoribus manducabat, & bibebat, ut dicitur Math. 9. conuictus tamen peccatorum, quantum ad consortium peccati, vitandus est omnibus. Et sic dicitur 2. ad Corint. 6. Exite de medio eorum, & immundum ne tetigeritis, scilicet secundum peccati consensum.

AD SEPTIMUM sic proceditur. Videtur quod peccatores seipsos diligant. Illud enim quod est principium peccati, maxime in peccatoribus inuenitur: sed amor sui est principium peccati. Dicit enim Augustinus 14. de ciuitate Dei, quod facit ciuitatem Babylonis, ergo peccatores maxime amant seipsos.

Præter peccatum non tollit naturam: sed hoc unicuique conuenit ex sua natura, quod diligat seipsum. unde et creatura irrationales naturaliter appetunt proprium bonum, puta, conseruationem sui esse, & alia huiusmodi, ergo peccatores diligunt seipsos.

Præter. Omnibus est diligibile bonum, ut Dionysius dicit in 4. c. de di. no. sed multi peccatores reputant se bonos, ergo multi peccatores seipsos diligunt.

SED CONTRA est, quod dicitur in Psal. 10. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.

RESPON. Dicendum, quod amare seipsum vno modo commune est omnibus: alio modo proprium est bonorum: tertio modo proprium est malorum. Quod enim aliquis amet id quod seipsum esse aestimat, hoc commune est omnibus. Homo autem dicitur esse aliquid dupliciter. Vno modo, secundum suam substantiam & naturam: & secundum hoc omnes aestimant bonum commune se esse id, quod sunt, scilicet ex anima & corpore compositos, & sic etiam omnes homines boni & mali diligunt seipsos, in quantum diligunt sui ipsorum conseruationem. Alio modo, dicitur homo esse aliquid secundum principalitatem, sicut princeps ciuitatis dicitur esse ciuitas. Vnde quod principes faciunt, dicitur ciuitas facere. Sic autem non omnes aestimant se esse id, quod sunt. Principale enim in homine est mens rationalis: secundarium autem est natura sensitua, & corporalis, quorum primum Apostolus nominat interiorem hominem, secundum exteriorum, ut patet 2. ad Corint. 5. Boni autem aestimant principale in seipsis rationalem naturam, siue interiorem hominem: unde secundum hoc aestimant se esse quod sunt. Mali autem aestimant principale in seipsis naturam sensitua, & corporalem, scilicet exteriorum hominem: unde non recte cognoscetes seipsos, non vere diligunt seipsos, sed diligunt id, quod seipsos esse reputant. Boni autem vere cognoscetes seipsos, uere seipsos diligunt. Et hoc probat philosophus in 9. Eth. per quinque, quae sunt amicitiae propria.

Vnusquisque enim amicus primo quidem uult suum amicum esse, & uiuere: secundo uult ei bona: tertio operatur bona ad ipsum: quarto conuiuere ei delectabiliter: quinto concordat cum ipso, quasi cum eodem delectatus, & contristatus. Et secundum hoc boni diligunt seipsos quantum ad interiorem hominem, quia et uolunt ipsum seruari in sua integritate, & optant ei bona eius, quae sunt bona spiritualia, & etiam ad assequenda opera intendunt, & delectabiliter ad eorum proprium redeunt: quia ibi inueniunt bonas cogitationes in presenti, & memoriam praeteritorum bonorum, & spe futurorum bonorum, ex quibus delectatio causatur. Sicut et non patiuntur in seipsis uoluntatis dissen-

Secunda Secundae S. Thomae. I 2 sionem,

In art. 7. siue in corde tuo conclusiones huius articuli, & qualiter mali, ut sic, non amant seipsos, & quinque signa ueri amoris proprii qui solis bonis conuenit, scilicet interiore hominem, hoc est, partem rationalem uiuere: uelle illi bona uirtutum: operari ad haec cooperari: scilicet inuis delectabiliter, concordare cum illo, seu illa. Et per signa examina seipsum, an uere sis bonus, an uere ames seipsum, an sis tibi inimicus: & haec frequenter in quotidiano meditare.

3. di. 29. ar. 5. Et virt. q. 2. art. 12 ad 6. Et p. 10.

lib. 14. c. vi. in prin. to. 5.

Cap. 4. parte 1. ante modum.

1. lib. 9. cap. 4. com. 5.

tionem, quia tota anima eorum tedit in vnum. E contrario autem mali non volunt conservari in integritate interioris hominis, neque appetunt eius spiritualia bona, neque ad hoc operantur, neque delectabile est eis secum conuiuere redeundo ad cor, quia inueniunt ibi mala, & praesentia, & praeterita, & futura, quae abhorrent, neque etiam sibiipsis concordant propter conscientiam remordentem, secundum illud Psalmi, arguam te, & statuiam contra faciem tuam. Et per eadem probari potest, quod mali amant seipsos secundum corruptionem exterioris hominis: sic autem boni non amant seipsos.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod amor sui, qui est principium peccati, est ille, qui est proprius malorum perueniens usque ad contemptum Dei, ut ibidem dicitur: quia mali etiam sic cupiunt exteriora bona, quod spiritualia contemnunt.

AD SECUNDUM dicendum, quod naturalis amor etiam non totaliter tollatur a malis, tamen in eis peruertitur per modum iam dictum.

AD TERTIUM dicendum, quod mali in quantum aestimant se bonos, sic aliquid participant de amore sui. Nec tamen est ista vera sui dilectio, sed apparens, quae etiam non est possibilis in his, qui valde sunt mali.

Super Quaestione uis gestum quatuor articulum octauum & nonum.

ARTICVLVS VIII.

Utrum sit de necessitate charitatis, ut inimici diligantur.

In corp. art. 3. di. 30. art. 1. Et vult. 9. 2. artic. 8. Et opul. 4. c. 8. & opul. 1. c. 8. 15. Et Ro. 12. lect. 3. Enchirid. cap. 73. to. 3.

IN ART. 8. & 9. aduerte tria. Primo, quod quia regula generalis est, quod praecipua affirmatiua, quantum est ex iure naturae, non obligant, nisi in articulo necessitatis, ut auctor hic inuenit, & in quarto sententiarum expresse tenet: ideo nec interior dilectio inimicorum in speciali, nec exterior beneficentia est in praecipuo, nisi in articulo necessitatis. Sufficit enim quod homo sit paratus ad faciendum quod tenetur secundum Deum, quando, ubi Sec. tenetur: quae praeparatio animi est proculdubio in omni habente charitatem, non minus quam praeparatio animi ad martirium in articulo necessitatis.

Secundo, quod quia loqui huic personae, salutare illam, emere, vendere, conuincere cum isto, & alia huiusmodi, non sunt actus, qui sunt ad communitatem, sed ad personas in speciali. Ideo non est necessitatis, sed perfectionis, quod aliquis inimico suo loquatur, quod illum saluet, aut aliquid huiusmodi faciat. Et pro-

D. 99.

AD OCTAVVM sic proceditur.

Videtur quod non sit de necessitate charitatis, ut inimici diligantur. Dicit enim Augustinus in Enchiridio, quod hoc tam magni boni, scilicet diligere inimicos, non est tante multitudinis, quantum credimus exaudiri, cum in oratione dicitur. Dimitte nobis debita nostra: sed nulli dimittitur peccatum sine charitate, quia ut dicitur Proverb. 10. Vniuersa delicta operit charitas, ergo non est de necessitate charitatis diligere inimicos.

2. Praet. Charitas non tollit naturam: sed vnaquaeque res etiam irrationalis naturaliter odit suum contrarium, sicut ouis lupum, & aqua ignem. ergo charitas non facit, quod inimici diligantur.

3. Praet. Charitas non agit perperam: sed hoc videtur esse peruersum, quod aliquis diligat inimicos, sicut & quod aliquis odio habeat amicos. Unde 2. Reg. 19. exprobrando dicit Ioab ad Dauid. Diligis odientes te, & odio habes diligentes te. ergo charitas non facit, ut inimici diligantur.

SED CONTRA est, quod Dominus dicit Mat. 5. Diligite inimicos vestros.

RESPOND. Dicendum, quod dilectio inimicorum tripliciter potest considerari. Vno modo, ut inimici diligantur, in quantum sunt inimici: & hoc est peruersum, & charitati repugnans, quia hoc est dilige-

re mali alterius. Alio modo, potest accipi dilectio inimicorum, quantum ad naturam, scilicet in vniuersali: & sic dilectio inimicorum est de necessitate charitatis, ut scilicet aliquis diligens Deum, & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat. Tertio potest considerari dilectio inimicorum in speciali, ut scilicet aliquis in speciali moueat motu dilectionis ad inimicum. Et istud non est de necessitate charitatis absolute: quia nec etiam moueri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter est de necessitate charitatis, quia hoc esset impossibile. Est tamen de necessitate charitatis in preparationem animi, ut scilicet homo habeat animi paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligat, si necessitas occurreret: sed quod absque articulo necessitatis homo etiam hoc actu implet, ut diligat inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis. Cum enim ex charitate diligatur proximus propter Deum, quantum aliquis magis diligit Deum, tanto etiam magis ad proximum dilectionem ostendit nulla inimicitia impediente. Sicut si aliquis multum diligeret aliquem hominem, amorem ipsius filios eius amaret, etiam inimicos sibi. Et secundum hunc modum loquitur Augustinus. Unde patet responsio ad Primum.

AD SECUNDVM dicendum, quod vnaquaeque res naturaliter odit hunc, quod est sibi contrarium, in quantum est sibi contrarium: inimici autem sunt nobis contrarii, in quantum sunt inimici, unde hoc debemus in eis odio habere. Debet enim nobis displicere, quod nobis inimici sunt: non autem nobis sunt contrarii, in quantum homines sunt, & beatitudinis capaces. & secundum hoc debemus eos diligere.

AD TERTIUM dicendum, quod diligere inimicos, in quantum sunt inimici, est vituperabile, & hoc non facit charitas, ut dictum est.

ARTICVLVS IX.

Utrum sit de necessitate salutis, quod aliquis signa, & effectus dilectionis inimico exhibeat.

AD NONVM sic proceditur. Videtur, quod ex necessitate charitatis sit, quod aliquis homo signa, vel effectus dilectionis inimico exhibeat. Dicitur enim Ioan. 3. Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate: sed opere diligit aliquis exhibendo ad

entem, quem diligit signa, & effectus dilectionis, ergo de necessitate charitatis est, vt aliquis huiusmodi signa, & effectus inimicis exhibeat.

¶ 2. Præt. Math. 5. Dominus simul dicit. Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos: sed diligere inimicos est de necessitate charitatis, ergo & benefacere inimicis.

¶ Præt. Charitas amat non solum Deus, sed etiã proximus: sed * Gregor. dicit in Hom. Pente. quod amor Dei non potest esse otiosus. magna enim operatur, si est si definit operari, non est amor. ergo charitas, que habetur ad proximum, non potest esse sine operationis effectu: sed de necessitate charitatis est, vt omnis proximus diligatur, etiam inimicus: ergo de necessitate charitatis est, vt etiam ad inimicos signa, & effectus dilectionis ostendamus.

SED CONTRA est, quod Matth. 5. super illud, Benefacite his, qui oderunt vos, dicit * glo. quod benefacere inimicis, est cumulus perfectionis: sed id, quod pertinet ad perfectionem charitatis, non est de necessitate ipsius, ergo non est de necessitate charitatis, quod aliquis signa, & effectus dilectionis inimicis exhibeat.

RESPON. Dicendum, quod effectus, & signa charitatis ex interiori dilectione procedunt, & ei proportionantur. Dilectio autem interior ad inimicum in communi quidem est de necessitate præcepti absolute: in speciali autem est nõ absolute, sed secundum præparationem animi, vt supra dictum est.

SECUNDO DICENDUM est de effectu, & signo dilectionis exterioris exhibendo. Sunt enim quedam signa, vel beneficia dilectionis, que exhibentur proximis in communi, puta, cum aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo: aut cum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati. Et talia beneficia, vel dilectionis signa, in inimicis exhibere est de necessitate præcepti. Si enim non exhiberetur inimicis, hoc pertineret ad liuorem vindictæ, contra id, quod dicitur Leuit. 19. Nõ quæres vltionem, & non eris memor iniuriæ ciuium tuorum. Aliaverò sunt beneficia, vel dilectionis signa, que quis exhibet particulariter aliquibus personis. Et talia beneficia, vel dilectionis signa inimicis exhibere nõ est de

NECESSITATE salutis, nisi secundum præparationem animi, vt. subueniatur eis in articulo necessitatis, secundum illud Prou. 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illi melle miscit, da illi potum. Sed quod præter articulum necessitatis huiusmodi beneficia alijs inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem charitatis, per quam aliquis non solum cauet vinci a malo, quod necessitatis est, sed etiã vult in bono vincere malum, quod est etiam perfectionis: dum scilicet nõ solum cauet propter iniuriã sibi illatam detrahi ad odium, sed et propter sua beneficia interdicit inimicũ pertrahere ad suum amorem. Et per hoc patet responsio ad obiectionem.

ARTICVLVS X.

Vtrum debeamus angelos ex charitate diligere.

AD DECIMUM sic proceditur. Videtur, quod angelos ex charitate non debeamus diligere. Vt enim * Aug. dicit in lib. de doct. christia. Gemina est dilectio charitatis, scilicet Dei, & proximi: sed dilectio angelorum nõ continetur sub dilectione Dei, cum sint substantiæ create: nec etiam videtur contineri sub dilectione proximi, cum nõ communicent nobiscum in specie, ergo angeli non sunt ex charitate diligendi.

¶ 2. Præt. Magis conueniunt nobiscum bruta animalia, quã angeli. Nam nos, & bruta animalia sumus in eodem genere propinquo. Sed ad bruta animalia non habemus charitatem, vt supra dictum est, ergo etiam neque ad angelos.

¶ 3. Præt. Nihil est ita proprium amicorum, sicut conuiuere, vt dicitur in 8. * Eth. sed angeli nõ conuiuunt nobiscum, nec etiam eos videre possumus, ergo ad eos charitatis amicitiam habere non valeamus.

SED CONTRA est, quod * Aug. dicit in r. de doct. christia. Iam vero si vel cui præbendum a nobis est, vel a quo nobis præbendum est officium misericordie, recte proximus dicitur, manifestum est præcepto, quo iubemur diligere proximum, etiam sanctos angelos contineri, a quibus multa nobis misericordie impenduntur officia.

RESPON. Dicendum, quod amicitia charitatis, sicut supra dictum est, fundatur super communicatione beatitudinis aternæ, in cuius participatione communicant cum angelis homines. Dicitur enim Matthæ. 22. quod in resurrectione erunt homines, sicut angeli in celo. Et ideo manifestum est, quod amicitia charitatis etiam ad angelos se extendit.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod proximus non solum dicitur communicatione speciei, sed etiam communicatione beneficiorum pertinentiũ ad vitam aternam, super qua communicatione amicitia charitatis fundatur.

AD SECUNDUM dicendum, quod bruta animalia conueniunt nobiscum in genere propinquo ratione nature sensitivæ, secundum quã non sumus participes aternæ beatitudinis, sed secundum mentem rationalem, in qua communicamus cum angelis.

AD TERTIUM dicendum, quod angeli nõ conuiuunt nobis exteriori cõuersatione, que nobis est secundum sensitiuam naturam: conuiuimus tamen angelis secundum mentem imperfecte quidem in hac vita, perfecte autem in patria, sicut & supra dictum est.

ARTICVLVS XI.

Vtrum debeamus demones ex charitate diligere.

AD VNDECIMUM sic proceditur. Videtur, quod demones ex charitate debeamus diligere. Angelus enim sunt nobis proximi, in quantum communicamus cum eis in rationali mente: sed etiam demones sic nobiscum communicant, quia data naturalia in eis manent integra, scilicet esse, viuere, & intelligere, vt dicit * Dionys. in 4. cap. de diu. no. ergo debemus demones ex charitate diligere.

¶ 2. Præt. Demones differunt a beatis angelis differentia peccati, sicut & peccatores homines a iustis: sed iusti homines ex charitate diligunt peccatores, ergo etiam ex charitate debent diligere demones.

¶ 3. Præt. Illi, a quibus beneficia nobis impenduntur, debent a nobis ex charitate diligere, tãquã proximi, sicut patet ex autoritate * Aug. supra iuducta: sed demones nobis in multis sunt viles, dum nos tentando nobis coronas fabricant, sicut * Aug. dicit II. de ciuit. Dei: ergo demones sunt ex charitate diligendi.

SED CONTRA est, quod dicitur II. 28. Delebitur sedus vestrum cum morte, & pactum uestrum cum inferno nõ stabit: sed perfectio pacis, & fœderis est per charitatem. ergo ad demones, qui sunt inferni incolæ, & mortis procuratores, charitatem habere non debemus.

RESPON. Dicendum, quod sicut supra dictum est, in peccatoribus ex charitate debemus diligere naturam peccati, odire. In nomine autem demonis significatur

Prima Secundæ S. Thomæ, I 3 natura

Ar. 3. huius quest. lib. 2. ca. 5. ante mediũ tom. 5.

lib. 1. c. 30. post mediũ tom. 3.

q. 25. art. 1.

q. 23. art. 1. ad 1.

3 di. 28. art. 5. Et di. 31. q. 2. ar. 3. q. 2. Et Ro. 13. c. 2. 2. fin.

* cap. 4. par. 4. parum a medio.

Ar. præced. arg. sed contra. Aug. lib. 11. cap. 17. tom. 5.

Ar. 6.

natura peccato deformata: & ideo daemones ex charitate non sunt diligendi. Et si non fiat nis in nomine, & qd referatur ad illos spiritus, qui daemones dicuntur, utrum sint ex charitate diligendi: respondendum est * secundum praemissa, qd aliquid ex charitate diligitur dupliciter. Vno modo sicut ad quem amicitia habet, & sic ad illos spiritus charitatis amicitia habere non possumus. Pertinet. n. ad rationem amicitiae, ut amicos nostris bonum uelimus. Illud autem bonum uita aeterna, qd respicit charitas, spiritibus illis a Deo aeternaliter donatis, ex charitate uelle non possumus. Hoc. n. repugnaret charitati Dei, per qua eius iustitiam approbamus. Alio modo diligitur ali quid, sicut quod volumus permanere, ut bonum alterius, per quem modum ex charitate diligitur irrationales creaturas, in quantum volumus eas permanere ad gloriam Dei, & utilitatem hominum, ut supra * dictum est. Et per hunc modum naturam daemorum etiam ex charitate diligere possumus: in quantum, scilicet uolumus illos spiritus in suis naturalibus conservari ad gloriam Dei.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod mens angelorum non habet impossibilitatem ad aeternam beatitudinem habendam, sicut habet mens daemorum: & ideo amicitia charitatis, quae fundatur super communicatione uita aeterna magis, quam super communicatione natura, habetur ad angelos, non autem ad daemones.

AD SECUNDVM dicendum, quod homines peccatores in hac uita habent possibilitatem perueniendi ad beatitudinem aeternam, quod non habent illi, qui sunt in inferno damnati, de quibus quatum ad hoc, est eadem ratio, sicut & de daemoneibus.

AD TERTIVM dicendum, quod utilitas, quae nobis ex daemoneibus prouenit, non est ex eorum intentione, sed ex ordinatione diuinae prouidentiae. Et ideo ex hoc non inducimur ad habendum amicitiam eorum: sed ad hoc quod simus Deo amici, qui eorum peruersam intentionem conuertit in nostram utilitatem.

¶ Super Questionis uigesimae quintae Articuli ultimum.

IN reliquis articulis eiusdem questionis, usque ad ultimam, nihil scribendum occurrit, in ultimo autem in response ad primum, daemum occurrit: quoniam iam dictum est, quod charitas est uirtus in specie sub una ratione formali, omnia, ad quae se extendit diligit. Nunc uero dicitur, quod est diuersa ratio diligitur in diuersis diligibilibus. Repugnare igitur ad invicem haec.

¶ Ad hoc dicitur, quod nulla est repugnancia inter dicta: sed explanatio unitatis & diuersitatis inueniatur in obiecto charitatis. Est siquidem in eo unitas formalis atomata quod ad rem, quae est obiectum formale charitatis. Est

ARTICVLVS XII.

¶ Vtrum conuenienter enumerentur quatuor ex charitate diligenda, scilicet Deus, proximus, corpus nostrum, & nos ipsi.

AD DVODECIMVM sic proceditur. Videtur, quod inconuenienter enumerentur quatuor ex charitate diligenda. Deus, proximus, corpus nostrum, & nos ipsi. Vt enim * Aug. dicit super Ioan. Qui non diligit Deum, nec seipsum diligit. In Dei ergo dilectione includitur dilectio sui ipsius. non ergo est alia dilectio sui ipsius, & alia dilectio Dei.

¶ 2. Praet. Pars non debet diuidi contra totum: sed corpus nostrum est quaedam pars nostri. non ergo debet diuidi quasi aliud diligibile corpus nostrum a nobis ipsis.

¶ 3. Praet. Sicut nos habemus corpus, ita est & proximus. Sicut ergo dilectio, qua quis diligit proximum, distinguitur a dilectione, qua quis diligit seipsum: ita dilectio,

F qua quis diligit corpus proximi, debet distingui a dilectione, qua quis diligit corpus suum. non ergo conuenienter distinguuntur quatuor ex charitate diligenda. SED CONTRA est, qd * Aug. dicit in 1. de doct. christi. Quatuor sunt diligenda, unum quod supra nos est, scilicet Deus: alterum, quod nos sumus: tertium, quod iuxta nos est, scilicet proximus: quartum, quod infra nos est, scilicet proprium corpus.

RESPON. Dicendum, quod sicut * dictum est, amicitia charitatis super communicatione beatitudinis fundatur, in qua quidem communicatione unum quidem est, quod consideratur, ut principium influens beatitudinem, scilicet Deus. Aliud est beatitudinem directe participans, scilicet homo, & angelus. Tertium autem est id, ad quod per quamdam redundantiam beatitudo derivatur, scilicet corpus humanum. Id quidem quod est beatitudinem influens, est a ratione diligibile, quia est beatitudinis causa. Id autem quod est beatitudinem participans, potest esse duplici ratione diligibile, uel quia est unum nobiscum, uel quia est nobis sociatum in beatitudinis participatione: & secundum hoc sumuntur duo ex charitate diligibilia, prout, scilicet homo diligit & seipsum, & proximum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod diuersa habitudo diligentis ad diuersa diligibilia, facit diuersam rationem diligibilitatis, & secundum hoc quia est alia habitudo hominis diligentis ad Deum, & ad seipsum: propter hoc ponuntur duo diligibilia, cum dilectio unius sit causa dilectionis alterius. Vnde ea remota, alia remouetur.

AD SECUNDVM dicendum, quod subiectum charitatis est mens rationalis, quae potest esse beatitudinis capax, ad quam corpus directe non attingit, sed solum per quantum dantiam. Et ideo homo secundum mentem, quae est principalis in homine, se diligit secundum charitatem, & alio modo proprium.

AD TERTIVM dicendum, quod homo proximum & secundum animam, & secundum rationem cuiusdam consociationis diligit. Et ideo ex parte proximi est tantum dilectionis. Vnde corpus proximi non est tale diligibile.

QVAESTIO XXVI.

De ordine charitatis, in tredecim articulis diuisa.

DEINDE considerandum est de ordine charitatis.

Artic. 3. huius qd.

Art. 3. huius quest.

3. di. 38. ar. 7. Et uirt. q. 2. ar. 7.

* Tract. 87. non remouet a sine to. 9.